

de possunt, quibus vel repelli possunt obsi-
dentes vel impugnari obsessi, quiescat potius
omnis vtriusque partis labor bellicus. Quod
vero ad illam controuersiam spectat agita-
tam inter GROTIUM *de Iur. B. et P. III.*
XXI. §. 5. et PUFENDORF, *de Iur. N. et*
Gent. VIII. 7. 8. a quo momento currere
incipiant induciae: an a momento, quo per-
fectae fuere, an ab insequenti die: prior sc.
Pufendorfi sententia verior et experientiae
conuenientior videtur. At tandem quae-
stio alia controuersa videtur, si exercitus
hostium simul consistat ex sociis, an induciis
a principali gente initis simul iis fruuntur
socii. et arbitror, recte etiam subintelligen-
dos eos, nisi separato plane exercitu agant,
quippe vnum cum gente principali consti-
tuunt corpus: at non nego, fatius fore, si in
pactis induciarum simul mentio fiat sociorum.

§. XVI.

Cum vero soleant interdum belligeren-
tes inter se pacisci, consuetum est, vt inui-
cem obsides tanquam pignora dent in se-
curitatem vel ipsorum paciscentium gen-
tium nomine, vel etiam in fidem promissi.
Hi obsides dantur a liberis inuicem gen-
tibus de quacunque promissione licita.

*) Quapropter, quos ex suppressa gente sibi
capit victos, quo cogat, vt promissionibus
stent, *obsides* vere non sunt, sed *captiui*. Vfus